



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

125. An contractus ille, qui vulgo dicitur Beneficiata, seu lotto, sit licitus?
Et notatur, quod res, quæ ibi venduntur, non possit vendi nisi iusto pretio,
quo res ipsæ valent, & aliter facientes ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

& seq. Neuzanus *conf.* 1. num. 13. Gozadinus *conf.* 27. n. 25. & alij penes ipsos. Negatiuum tamen sententiam puto probabilem esse, sed magis difficultas est in sequenti dubitatione. Verum in facti contingencia circa presentem quaestionem ne delectras videre sapientissimum & amantissimum, heu quondam dominum Ioannem Baptistam Larrea in suis doctissimis decisionibus Fiscalibus allegat. 18. per totam.

RESOL. CXXIV.

An qui periculum alicuius rei in se recepit, casum etiam fortuitum in se recepisse intelligatur? Ex p. 8. tr. 7. & Mitc. 1. Ref. 32.

§. 1. **P**RO affirmatiua sententia validissima adsunt argumenta. *Primo* enim non incogniti iuris est, periculum comprehendere sub se omnem casum, qui cum, vel sine culpa contingit. l. 1. in venditione 10. & l. quod si neque 14. ff. de perc. & de commod. rei vend. l. & Arifioni 39. ff. mandat. Genus quippe periculum est: casus vero fortuitus species. Consequens itaque est, vt qui periculum rei alicuius in se suscepit, etiam de casu fortuito teneatur, argum. d. l. si eborus 79. in princ. ff. de legatis 3. Deinde idem euidenter confirmatur per textum in l. si certo 6. §. nunc videndum 2. cum duobus §. ff. de leg. ff. commodati. ex quo textu colligere promptum est, sic de periculo sit conuentum, ad recipientem pertinere casus fortuitus. Præterea eandem sententiam non parum probat *litium queritur* 14. §. si gemma 5. ff. locati, vbi is, qui gemmam includendam, aut in culpendam accepit, eaque fracta sit, si quidem vitio materiae factum sit, non tenebitur, nisi periculum in se artifex receperit. Tunc enim, etsi vitio materiae id euenit, erit ex locato actio. Vnde apparet, quod licet artifex non sit in culpa, sed casus accidat ex vitio materiae: tamen artifex propter conuentiorem teneatur. Denique huc facit trita illa regula, qua dicitur, quod generalis promissio tantum operetur, quoad omnes casus, quantum specialis, siue enumeratio specierum, quoad quosdam, d. l. si eborus 79. in principio, ff. de legat. 3. l. homines 4. C. de praescript. 30. vel 40. annorum. Cum igitur tantum operetur genus, quantum enumeratio specierum, consequens erit, vt ius periculum susceptione & casus fortuitus, tanquam species sub suo genere comprehendatur.

2. Nec aduersatur huic sententiae *l. litis* 37. §. ff. de negot. gest. ibi dum Paulus significat, quod etsi quis periculum eorum nominum, quae ipse contraxit, subire cogatur: non tamen teneatur, si debitores casu non fiant sufficientes ad soluendum, inde colligi posse videtur, quod licet ad periculum quis obligatus sit, non tamen de casu fortuito teneatur. Non inquam, lex illa aduersatur, quia in ea casus fortuitus à periculo (quod alias casum sub se fortuitum, tanquam speciem, complectitur) excipitur: sic, vt negotiorum gestor nominum suae debitorum, quae ipse contraxit, periculum sustineat & praestet, excepto casu fortuito, quo debitores ita fortunis & facultatibus suis lapsi euersique sunt, vt tempore litis contestatae sufficientes ad soluendum non sint. Ex quo perspicitur, si casus fortuitus à lege non fuisset dilecte exceptus, cum sub periculo, tanquam sub genere, comprehensum fuisset. Quod si igitur negotiorum gestor conuentione, vel pacto in se periculum recepisset, nec expressè casum fortuitum excepisset, certe ad hanc quoque obligatus fuisset.

3. Non etiam aduersatur *l. negotiorum* 22. C. de negot. gest. vbi ad hoc, vt quis de casu fortuito teneatur, requiritur speciale pactum. Vnde consequens esse videtur, generale pactum de periculo non sufficere. Non, dico, aduersatur. Ideo namque pactum speciale ibi requiritur ad hoc, vt negotiorum gestor de casu fortuito teneatur, quia ex

Tom. VII.

natura quasi contractus negotiationis, praestandus non venit casus fortuitus. Proinde Imperatores pactum speciale exigunt, quoniam hoc sufficit, nec opus est, vt generale pactum de periculo praestando interueniat, maxime cum & alias expediti sit iuris, quod de omni culpa, adeoque etiam leuissima, negotiorum gestor conueniri possit. §. igitur 1. in fin. infra de oblig. quae nascuntur ex contract. nascunt. vbi id explicatum est, l. si quis n. 41. & seqq. vt idcirco planè superuacuum fuerit generale de periculo praestando pactum interponi.

4. Non insuper aduersatur, quae fortuitis 6. C. de pignorat. act. ex cuius legis verbis aperte constat, quod generalis conuentionio super amissione pignoris non sufficiat, sed specialis desideretur. Illic enim nequaquam desideratur, vt casus omnes specialiter enumerentur, sed sufficit, vt generaliter super amissione pignoris conueniatur: quia conuentione comprehendantur & casus fortuiti, vt est aggressio latronum, & alij, per quos accidit, vt pignus amittatur. Sed & hoc obseruandum est, quod in d. l. 6. proponatur regula, quod in bona fidei iudiciis casus fortuitus non praestet, etique subiciatur exceptio: nisi inter contrahentes placuerit, vt amissio pignorum liberet debitorem. Hanc proinde exceptionem de casu fortuito concepit Imperator Alexander, quia & regula de casu fortuito concepta erat.

5. Pariter non aduersatur, quod in generali promissione non eueniant ea, quae quis specialiter non fuisset concessurus, l. obligatione generali 6. & l. denique 8. ff. de pigno. ib. l. pen. in princ. ff. de vniuers. creditor. l. 1. C. quae res pignori obligari poss. adeoque verisimile non sit, vt quispiam ad casus fortuitos, qui varij sunt ac innumeri, absque expressa mentione, & conuentione se obligare voluerit, aut de iis cogitare potuerit, argum. l. qui cum iuroribus 5. §. 1. & vlt. ff. de transactionib. Respondeatur etiam, eo ipso, quod quis in genere consentit, videtur in genere de omni omnino casu cogitasse, argum. l. qui iure militari 7. ff. de testam. milit. & consimilium. Præterea regula illa, quod in generali promissione non veniant ea, quae quis specialiter non fuisset concessurus, non est generalis: siquidem & in contractibus per generalem casus fortuiti susceptionem veniunt casus, qui sub istis verbis comprehenduntur, vt specialis eorum enumeratio non sit necessaria, per rationes supra pro sententia nostra allatas.

6. Tandem non aduersatur, quod veritati consentaneum non sit, aliquem casum fortuitum, cui resistere non potest, velle subire, nisi clarissime de obligantis mente constet. Et quia periculum non illud tantum damnum continet, quod ex casu fortuito, sed & quod culpa contingit, susceptione periculi ad exactissimam diligentiam obligabitur. Hoc, inquam, non aduersatur, quandoquidem ex eo, quod conductor rei sibi locatae periculum expressa conuentione in se recepit, apertissime constat, quod non solum ad omnem culpam, sed ad casum etiam fortuitum praestandum sese obligare voluerit. Et hanc sententiam tenet *Hultricus Hunnius lib. 3. var. resol. iur. ciuil. tract. 7. d. 2. q. 4. & in res. ad Truter. vol. 1. disp. 29. q. 18. Tu Lector cogita.*

RESOL. CXXV.

An contractus ille, qui vulgò dicitur Beneficiata, seu lotto, sit licitus? Et notatur, quod res, quae ibi venduntur, non possunt vendi nisi iusto pretio, quo res ipsa valent, & aliter facientes peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem pauperibus, si veri domini nesciuntur. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 81.

§. 1. **R**ESPONDEO affirmatiuè, seclusis tamen fraudibus cum Fillucio *tom. 1. tr. 37. c. 3. n. 41.* qui citat *Molinam. Idem docet Delrius in disquis. mag. 10. 2. lib. 4.*

Q 3 64

c. 4. q. 2. Alcocer de ludos. 49. Lopez de contract. lib. 2. c. 23. Garzias de contract. lib. 2. c. 44. Bonacina etiam de contract. disp. 3. q. 2. punct. 2. n. 26. Scaccia et de commer. §. 1. q. 1. n. 10. & alij.

2. Sed notandum est, quod res, que ibi venduntur, non possunt vendi nisi iusto pretio, quo res ipsa valent, habita ratione operarum, quas ministri illius ludi adhibent: unde peccarent mortaliter, & tenerentur ad restitutionem, si excederent in pretio, habita ratione debiti laboris, & rei. Ita Doctores citati, & Sa verbo *Venditio*, n. 15. ubi ita asserit, [in venditione, que vulgò dicitur, *lotto*, cum, scilicet, multa venduntur innumeris, qui syngraphas dant cum parvo pretio, non possunt res omnes plures vendi, quam valent ipsæ, & opera ministrorum, quibus solvendum.] Ita Sa. Et restitutio fieri debet pauperibus, si veri domini nesciuntur. Deinde supradicti ministri licite accipiunt dictum stipendium, si non excedat iustum rigorosum, si non sunt plures, quam necessarii sunt; & si non plus temporis in eo negotio insistant, quam necesse sit. Cauende sunt etiam fraudes venditorum, & ditorum ministrorum, ne fortitionem facere morantur, postquam sufficientes symbola sunt collata: item, ne merces mutant vel diminuant: item, ne quando simul facienda sortitio, aliquas merces prius patiantur sortem subire, & similia.

RESOL. CXXVI.

An dubitans, si res sit furtiva, possit eam emere, et postea à vero domino eorum pretium accipiat?
Et in practico casu, si dominus non comparuerit, an emptor teneatur rem illam in rios usus convertere, deducto tamen pretio maxime, si illam emerit modico pretio?
Ex p. 4. tr. 3. Ref. 33.

Quoad hoc lege doctrin. §. 1. & vers. not. seq.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo, quia cum habeat animum querendi verum dominum vt ei illam restituat, non peccat rem illam emendo, cum vtiliter agat domini negotium, Ita Media C. de restit. q. 10. §. alij. tamen, & omnes Doctores, qui tamen obseruant quod si dominus non comparuerit, emptor teneatur rem illam in pios vsus convertere, deducto tamen pretio, sicuti etiam si vero domino comparente illam ei tradat.

2. Sed Merolla rem. 1. disp. 3. c. 3. sub. 1. coroll. 5. n. 36. qui citat Alciatum, Bartolum, Nauarram, Molinam, Syluestrum, & alios, docet hanc sententiam procedere tantum quando dubitans, an res sit furtiva, illam emit modico pretio, eo animo, vt dictum est, vt eam reddat domino, quia videt nisi ipse illam emat, dominum eam nunquam recuperaturum, vt si emat illam ab hostibus, vel latrunculis exteræ gentis, tunc enim dominus non poterit eam habere nisi soluto pretio.

3. Verum Doctores absolutè, & sine vlla distinctione asserunt ita ementem rem furtiuam comparente vero domino deducere posse pretium pro illa solutum, dummodò fuerit pretium iustum, & dominus aliàs non fuisset expensis recuperaturus, quia cum vtiliter eius negotium gestum sit, non est æquum te in amissione pretij emptorem condemnare. Et ita tenet Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 3. n. 4. Sanchez de matrim. 10. 1. lib. 2. disp. 4. n. 29. Bañez in 2. 2. q. 62. dub. 5. concl. 2. Salion. ibid. contr. 4. concl. 2. Salas in 1. 2. tr. 8. disp. vnic. sect. 23. n. 27. & Villalobos in sum. 10. 1. tr. 1. diff. 20. n. 8. ubi sic ait, [El que compra la cosa que sabía que era hurtada para venderla à su dueño, este tal no pecca, antes haze correja al dueño que no la pudiera haver por otro camino, y tendra obligacion à darla al verdadero señor, sacande lo que le coito.] Ita ille.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 7. Ref. 14. §. Nō deferam. ad medium, lege doctrina vers. qui te. & melius in tom. 7. tr. 7. Ref. 19. §. Sed hic. & seq. & in Ref. 33. §. 5. vlt.

RESOL. CXXVII.

An si quis studio emptoris, vel donationis rem furtiuam sub dubio possidet, & facta diligentia dubium adhuc persistit, ad quid teneatur?
Et aliqua circa hoc aduertuntur. Ex p. 4. tr. 3. Ref. 27.

§. 1. **A**D hoc dubium ita responder Villalobos in sum. 10. 1. tr. 1. diff. 20. n. 5. [El que començo a posseder la cosa en duda por compra; o por otro qualquier titulo, esta obligado a restituirla. El fundamento es por que sin derecho verdadero o presunto no ay possessiõ como dize Syluestro ver. possessor n. 1. declarando la definicion de possessiõ que dan los Iuristas. Mas ha fe de aduertir que este tal no tendra obligacion a restituirla toda la cosa, si no mas o menos conforme ala duda que tuuiere.] Sic ille, & post illum Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 3. n. 2. ubi ita asserit, Si dubitas an res sit furtiva, & titulo emptoris, vel donationis possidisti, teneris facta diligentia & dubio persistente rem dividere inter te, & eos de quibus dubitas, quia tunc pro nullo stat præsumptio, ac proinde omnes æquale ius habent; practicum autem à te datum in causa esse non potest, quominus debeas aliis qui non acceperunt, & de quibus dubitas an eorum sit res, satisfacere, sicut si comparerit verus dominus, teneris illi integram restituere, etiam si pretium dedisses, quia mala fide dedisti. Limita supradictam doctrinam, nisi à possessore bonæ fidei acceperis, tunc enim etsi dubius possideris, at non comparente domino post factam diligentiam poteris retinere rem, & illa vti, quia succedis loco possidētis à quo accepisti titulo emptoris, vel donationis. Qua ratione emens mancipia ab asportantibus, etsi dubius emeris, an fuerint furtiva, at facta diligentia pro inuestigando verum dominum, illòque non comparente potes illa retinere, quia tunc non est possessio pro libertate mancipii, sed pro possessore bonæ fidei, qui illud vendidit, & cuius loco successisti. Vide etiam circa præsentem questionem Merollam 10. 1. disp. 3. c. 3. coroll. 5. n. 18. Rebellium p. 1. lib. 2. de restit. 7. 5. n. 7. Molinam 10. 1. tr. 1. 2. disp. 36. & 10. 3. disp. 72. Sanchez de matrim. 10. 1. lib. 2. disp. 4. 1. n. 24. & seq. Bañez in 2. 2. q. 62. a. 6. dub. 5. concl. 5. & ibi, Salonium q. 61. tr. de dominio. Salas in 1. 2. tr. 8. disp. vnic. sect. 23. n. 23. 2. & 26. Ioannem Sancium in selectis disp. 43. n. 14. & alios pene ipsos.

2. Notandum est tamen hic obiter, quod Merolla 10. 1. disp. 3. c. 3. coroll. 5. n. 12. aduertit, quod vt aliquis dicatur bonæ fidei emptor, non sufficere si ignoret rem illam esse furtiuam, & credat non omnia, que alter vendit, talia esse. Nam quando tumor est, aut vehemens suspicio illum multa vendere furto sublata, nefas est ab eo emere, nisi, premisso sufficienti examine, constet ementi, alium iuste vendere. Quod si emerit, non præmissa hac diligentia, teneatur postea eam adhibere, vt sciat an res fuerit legitime vendita. Si verò nulla occurrat diligentia que ad illud sciendum possit deinceps fieri; & adhuc perseueret dubium, an legitime fuerit vendita, tunc pro quantitate dubij, quod remanet, teneatur restituere partem valoris rei empta. Ita Merolla, & ante illum Molina 10. 1. tr. 2. disp. 35. in fin. 2. concl. Sanchez de matrim. 10. 1. lib. 2. disp. 4. 1. n. 27. Mercado de contr. lib. 2. c. 20. Villalobos in sum. 10. 1. tr. 1. disp. 20. n. 7. & alij.

3. Verum Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 3. n. 5. hoc intelligit, quando rationes efficaces, seu moraliter conuincentes adessent, venditorem vendere rem furtiuam, non quando dubie sunt & probabiles, tunc enim deponendum est dubium, & intelligere, alium ritè vendere, quia nemo præsumitur malus, nisi præbetur, neque in dubijs delictum commissum, ex l. meriti. ff. pro socio.

RESOL.